


D. CHRIST. AVG. CRVSII
P R O B A T I O
Q V O D
S C O P V S H O M I L I A E
M O N T A N A E
D O M I N I N O S T R I I E S V C H R I S T I
M A T T H . V . V I . V I I .
S I T
E V A N G E L I C V S ,
N E V T I Q V A M L E G A L I S .
P R O P O S I T A L I P S I A E F E S T O P E N T E C O S T E S
C I C I C C L I X .

~~E~~ ~~III~~ ~~II~~

Coll. diss. A
159, 29

Sty. A. 159(29)


 uoniam nullum ex sermonibus Christi ad populum habitis tam copiose Matthaeus in euangelio tradidit, quam celeberrimam illam homiliam montanam, quae Cap. V. VI. VII. extat, multum interest, nosse, quod eius argumentum, quae sententia sit, quo scopo Dominus dixerit, quodque consilium secutus sit. Socinianos quidem in ea concione nihil videre praeter legem, mirum non est. Nam isti homines, etsi Christiani esse volunt, reuera euangelium plane non agnoscunt, atque in eo miserrime falluntur, quod, cum zelum pietatis et iustitiae, vitaeque sanctitatis prae se ferant, nihilo minus ipsum salutis fundamentum deserunt, et toto coelo errant. Quidquid autem dignitatis et potestatis Christo tribuant, vile est et contemnendum, si cum eo, quod temere ipsi abiudicant, comparetur.

At enimvero illud indignius est, quod saepe et rursus recentissimis exemplis animaduertimus, alios quoque, qui nolunt cum Socinianis numerari, in eo versari errore, ut existiment, Christum in concione montana vnice legem spectasse. Operam dabimus, ut, quoad limites huius commentatiunculae permittunt, planum faciamus, *scopum homiliae Christi montanae*, quae Matthaei Cap. V. VI. VII. extat, *neutiquam legalem esse, sed vere euangelicum*, quaeque in ea ad legem referri per se possunt, hoc tamen loco in debita sua ad euangelium relatione et cum illo copulatione proponi.

Quod ut consequamur, iuuat, primum notare praecipuas quasdam et proximas causas, quibus fit, ut multi vel in sermone Christi percipiendo errent, vel certe difficultates reperiant. Primam in eo ponimus, *quod quaedam verba et phrasae minus recte intelligi solent*. Veluti verba aliqua in sacris bibliis vere *πολύσημα*, commoditatis docentium gratia, hodie, in compendiis praecipue, angustiori significato vsurpari solent, et modo pro catechesis modo pro acroamaticae subtilitatis opportunitate ad vnam aliquam commodam significationem fere restringi solent, quo fit, ut sacrum textum legentibus illa semper animo obuersetur, v. g. *lex, facere voluntatem Dei, aliaque*. Item verba quaedam, quae in sacris literis occurrunt, vel quibus verba biblica reddi solent, secundum etymologiam, aut ex vsu vulgari, aliud quiddam designant. Inde existit, ut, vbi in textu sacro occurrunt, sensu nunc vsitato, non vetusto illo, accipiantur, quin etiam conclusiones nominales ex etymo vocum, quibus recentiores in vertendo et disserendo vtuntur, ab improvidis eliciantur. Cuiusmodi est vox poenitentiae, quando *μετάνοια* sic vocatur. Vicissim per varias vel necessitates vel occasiones introducta sunt verba ecclesiastica, nihil quidem, nisi quod in Scriptura S. fundatum est, denotantia, attamen in illa non occurrentia,

Sächs.
Landes-
bibl.

tia, quibus quoniam aliqui nimis frequenter vtuntur, omissis fere locutionibus biblicis, efficiunt, vt legentes textum sacrum voces illas desiderant, eoque offendantur, ac si res probanda illic non doceretur. Talis est appellatio satisfactionis et meriti Christi. Accedit denique, quod voces ex philosophia siue gentilium siue Christianorum arreptae eodem sensu in sacris litteris accipi creduntur, quo a philosophis illis vsurpantur, neglecta linguae sacrae indole et locorum biblicorum collatione. Quae praecipitania dici non potest, quot confusiones et alienas interpretationes pepererit et pariat. Sic v. g. regnum Dei accipiunt pro prouidentia Dei in genus humanum vel in omnes res creatas; Deum compellant Patrem, quia creator est; vitam aeternam fere accipiunt pro beatitudine animarum corpore solutarum, de qua philosophi etiam gentiles multa somniant potius, quam statuunt. Adsuescunt igitur, verbis scripturae vbicunque subiicere notiones ex hodierno dicendi vsu, vel ex gentilium libris, ex philosophia sectaria, quin ex recentissimarum linguarum gentiumque ingenio petitas. Sic multo pauciora vilioraque in textu sacro vident, quam reuera insunt. Quare legem, quae quodammodo natura constat, circa quam philosophia quoque occupatur, quam admittunt etiam, qui a mysteriis alieni sunt, facilius vident, vbi occurrit, et illuc quoque referunt, quae neutiquam eo pertinent, dummodo verba sensu biblico capiantur. Euangelium vel nusquam vel rarius animaduertunt.

Altera causa, quamobrem multi cum vniuerse sermones Christi difficulter intelligant, tum in specie homiliam montanam legis folius, vel saltem legis potius quam euangelii, concionem esse, opinentur, in eo consistit, quod animus ad Christi methodum docendi non satis attenditur. Scilicet primum, quod de se credi voluit, erat, quod ipse sit Christus, Filius Dei, Saluator credentium in se et resipiscentium. Atque hoc caput, haec arx doctrinae eius vniuersae est. In eo autem proponendo Iohannes Baptista et Iesus ipse non solo nomine CHRISTI, quin ne hoc quidem praecipue, utebantur, sed eiusmodi personae et muneris Christi appellationibus et descriptionibus, quibus animus a praeiudiciis de rege mundano auocaretur, et ad anbelandum amplectendumque Saluatorem praepararetur. Res et ratio docendi initio sic instruebatur, vt ex factis et sermonibus audientes potius ipsimet intelligerent, Iesum esse CHRISTVM, sed alio et excellentiori consilio venire, quam a perditis illorum temporum magistris de Christo acceperant, adeoque illi vt Dei Filio, Saluatori et iudici mundi fide et toto pectore adhaerent, nec de eius institutis praepostere quidquam iudicarent, sed, quae doceret, crederent, quaeque gradatim peracturus et patefacturus sit, fidenter expectarent. Sola proclamatio Iesu vt Christi,

IV

strepens praeconium, adesse Christum, et hunc Iesum esse, annon seditionem concitasset, qua Iesum salutassent Regem, arma cepissent, sed salutem, quae in Christo est, neutiquam forent assecuti? Inde intelligitur, cur Iesus certo loco et tempore etiam vetuit, ne apostoli eum patefacerent, quod Christus sit, item ne miracula a se edita vulgarentur, nimirum ne seditiosae plebis concursus fierent. Caeterum prius hoc doctrinae Christi caput pro primo ministerii sui tempore prorsus sufficiens erat, cum ad fidem solide fundandam, mox prouehendam ulterius, tum ad salutem, si quis credens in Iesum eo tempore e vita discederet.

Alterum doctrinae Christi caput principale ad modum spectat, quomodo opus restituendae salutis humanae a se susceptum sit exsecuturus. Modus iste nec ab homine vlllo, quin ne ab angelo quidem, reperiri potest, nec homini ius est poscendi, vt sibi exponatur, antequam Filio Dei credat, quem Dei Filium esse, opera et doctrina et vita demonstrabant. Plus sane, quam hominum mens capit, ad hoc requirebatur, vt Filius Dei modo Deum decente peccatorum nostrorum amnestiam possibilem redderet. Quale negotium mediator Filius Dei cum Patre suo eam ob causam habiturus esset, quibus modis sibi ius acquireret peccatores, eo quod in semet crederent, saluandi, qua via satanam, qui huius mundi principatum tenebat, imperio exueret, sibi que subiiceret, non vi ac potentia, sed via iustitiae, haec et reliqua similia quis vel comminisci, vel in antecessum designare audent potuit? Haec gradatim reuelanda erant, eaque re non hominum modo, sed angelorum quoque, bonorum et malorum, opinio et expectatio superari debebat, satanas vero suo ipsius reti illaqueandus erat. Tam diras passiones et contumelias Filio Dei pro hominum salute perpetiendas, tam foedum et horrendum supplicium subeundum esse, quis putauerat? Et quem non ab ore Christi terriculi commemoratio statim abstraxisset, si res ab initio improuide in vulgus publicata fuisset? At nec modum operis diuini ab hominibus sciri necesse erat, praesertim ab initio. Salutem Deus in Filio suo promiserat, quem cum misisset, et demonstraret, hunc esse suum Filium, in quo ipsi placeat promissa omnia exhibere, annon fas erat, illi penitus adhaerere, operisque consummationem ab illo certo expectare, sed perficiendae rei rationem illi patienter fidenterque committere? Tecte primum et aenigmatice tum Iohannes tum Christus ipse mortem expiatoriam ab initio publice praedixit; Io. I, 29. II, 19. deinde apertius dixit, se carnem et sanguinem pro vita mundi daturum, Io. VI, 51. sq. Christum hac γεινεξ̄ Ionae antitypum fore Matth. XII, 39. 40. vt bonum illum pastorem pro ouibus vitam positurum, sed et recepturum esse Ioh. X, 11. sq. Sic rem gradatim decebat aperiri, atque

que

que etiam effici, ne quis existimaret, supplicium Christi praeter ipsius expectationem accidisse, aut calumniaretur, Dominum Iesum regnum mundanum, vel quaecunque humana emolumenta expetiisse et molitum esse. Attamen quando, quomodo, a quo mors sibi impenderet, aperte non dixerat. Matthaeus autem sollicitè notat, quando Christus coeperit passionem suam ipsis discipulis determinate praedicere, nimirum prope Caesaream Philippi, cum hoc ipsum iter ad patiendum crucis supplicium iniret, apostoli autem de eo, quod Iesus sit Christus, Filius Dei, prorsus confirmati essent, Matth. XVI, 17. Apostoli quidem ea re prorsus perturbabantur, et perspicuam claramque praedictionem subinde malebant pro parabolice dictis habere, propterea quod res incredibilis videbatur. Neque mirum hoc est. Nam ne nunc quidem istum vitae Christi in terris exitum sine horrore recogitamus. Quare mortem suam Christus iterum iterumque inculcauit, Matth. XX, 17. XXVI, 2. et quidem ut expiatoriam Matth. XX, 28. XXVI, 28. Fides igitur ab initio praeconii Euangelii erat adhaesio ad Iesum Christum eiusque personam et verba, tanquam Filii Dei et Salvatoris, Dominique et futuri iudicis, cum fiducia salutis et paterni amoris Dei erga nos per hunc suum Filium. Atque in hoc natura fidei saluificae etiam nunc posita est, etsi fides credentium in Christum, progrediente Domini opere, mox determinatius instructa et collustrata est, quam ab initio ministerii Christi fieri poterat.

Iam breuiter obseruemus ex ipsis Euangelistis, quid de Christo inter Israelitas rectius sentientes cognitum fuerit, et quibus loquendi modis de Christo uti consueuerint. Non enim omnes Israelitae Pharisei aut Sadducaei erant, et inter ipsos corruptae disciplinae asseclas alius alio grauius latiusque errabat.

Notum igitur de Christo erat, quod sit Filius Dei, quod liquet exemplo Nathanaelis ex disciplina Israelitica teste Christo loquentis Io. I, 48. 50. item ex confessione populi Matth. XIV, 33. et ipsius Caiphae Matth. XXVI, 63. Intelligitur autem eiusmodi Dei Filius, qui naturae diuinae reuera particeps est. Nam ipsi hostes agnoscebant, Iesum professione illa, quod sit Filius Dei, se facere Ἰσὸν τῷ Θεῷ Io. V, 18. seque facere Θεὸν Io. X. 33. Neque etiam Christus putabatur esse Spiritus S. sed qui daret Spiritum S. Matth. III. 11. Idem vero Christus etiam fore agnoscebatur Filius Davidis Matth. XII, 23. Hinc quia Davidis familiae adstricta fuerat promissio Abrahamo facta, Abrahami posteris promissio Adamo facta, Iesus ipse, dum in terris ageret, se saepissime dixit filium hominis אדם בן eum Adami s. hominis filium, qui κατ' ἐξοχήν sic dicens est, et expectabatur, respiciens sobolem Gen. III, 15. promissam.

VI

De negotio, quod perageret Christus, sic existimabant, ut eum haberent *Saluatorem mundi et Doctorem generis humani, qui totum Dei consilium patefaceret*. Sic verissime fatentur Samaritae, ad quos sectarum Iudaicarum recentiora commenta non adeo videntur manasse, potius apparet, hanc priscae fidei Israeliticae praecipuam partem fuisse, indeque apud Samaritas superfuisse Io. IV, 25. 29. 42. Insuper certum habebatur, Christum fore *iudicem totius mundi, dominumque coelorum et terrae, eumque aeternum mansurum* Io. XII, 34. Matth. III, 12. Luc. III, 17. Inde explicandum est, cur aduersarii signum de coelo, quippe potiore regni Christi parte, peterent, quod tamen non ad istam *γενεάν* pertinebat, cui passio et resurrectio Christi, neququam aduentus in gloria et iudicium extremum, a Deo destinata erat. Spem hanc profitetur resipiscens latro Luc. XXIII, 42. orans, ut Iesus ipse memor sit, quando venturus sit non in regnum suum, sed *in regno suo*, nempe ut iudex mundi, quod ne prima quidem mundi tempora ignorarunt, quia hac de re Henochus iam vaticinatus est Ep. Iud. v. 14. Hinc Iesus vincens coram synedrio liberrime se Christum profitens aduentum istum gloriosum praecipue commemorat, quem in ista humilitate de ipso minime sperabant, Matth. XXVI, 64. ideoque Iesum ut blasphemum damnabant, qui sibi sumeret, quod in hominem tam vilem nequaquam conueniret. Caiphas, ne in partes synedrium scinderetur, et pars vererentur Iesum capitis damnare, quod iam aliquoties acciderat Io. VII, 50. sq. adiurans Iesum, ut diceret, sitne Christus, de Christo non ex priuata sententia sed ex disciplina Israelitica rogare coactus fuerat, et iuxta eandem Iesus respondet. Ex perspicuis his observationibus definiendum est, quo sensu Messias ab orthodoxis Israelitis *Rex Iudaeorum*, vel *Rex Israelis* dictus fuit, nempe *synonymum Messiae* vocabulum fuit, quoniam Israeli Rex Deus promissus fuerat, cuius beneficia ad reliquas gentes peruenirent conuersione ad religionem Israelis veri, et Israelitarum ministerio. Nisi Magi Matth. II, 2. etc. quem Regem Iudaeorum vocabant, putassent Dominum mundi, Deum et Saluatorem esse, cur eum quaerebant, cur adorabant? Ex Nathanaelis autem responso Io. I, 50. prorsus patet, Filium Dei et Regem Israelis synonyma et nota Christi elogia fuisse, quamobrem angelus Gabriel Mariae, Luc. I, 32. 33. non aliter de Christo locutus esse existimandus est, quam fidei verorum Israelitarum, quae in Maria erat, penitus conforme fuit.

Eminet inter loquendi formulas de Christo, cum patefaciendus esset, appellatio *regni coelorum*, vel *regni Dei*, unde praeconium de illo etiam *κατ' ἐξοχήν* dicitur *Euangelium Regni*. Abstractum adhibetur, donec agnosceretur concretum *ὁ βασιλεὺς* Matth. XXV, 34. fere uti, cum natiuitas

tiuitas

tiuitas Christi annuntiatur, termino abstracto adhibito, Mariam obumbratura dicitur *δύναμις ὑψίστη* Luc. I, 35. h. e. omnipotens et altissimus, is, quem in concreto Gabriel Zachariae loquens vocat Dominum Deum Israelis Luc. I, 16. 17. mox natum angeli laudant Christum Dominum, hominum quidem Saluatorem. Luc. II, 11. Similiter Simeon, etiam videns Christum infantem et vnus excipiens, tamen conuenienter initio rei eum vocat termino abstracto *τό σωτήριον τῆ Θεοῦ*, Luc. II, 30. qui post-hac *σωτήρ* dicitur.

Atque haec dicendi formula, quando *regnum coelorum* vel *eius aduentus* memoratur, diligenter etiam atque etiam notari debet in tota Scriptura S. imprimis vero apud Euangelistas, qua neglecta interpretem turpiter errare, quaeque de Christo dicta et ad Euangelium stricte sumtum referenda sunt, ad sensum prorsus alienum detorquere, necesse est. *Appropinquauit regnum Dei* nihil aliud sibi vult, quam *Vnctus ille seu Messias Dei*, h. e. *Rex*, adest, idque agitur, vt suo ordine impleantur, quae de illo scripta sunt, et quaecunque Deus per illum efficienda decreuit. Est igitur *aduentus regni Dei* aduentus Christi ipsius. Idcirco consueta metonymia etiam, quae cum aduentu et munere Christi connexa sunt, *regnum Dei* variis modis appellantur. Nimirum quando Euangelium magno cum effectu docetur et progreditur, potenter dicitur venire regnum Dei Marc. IX, 1. vel Filius hominis in suo regno Matth. XVI, 28. Similiter quaelibet temporis periodus, vbi Deus magna vi vtitur ad delendos Euangelii hostes, veluti excidium vrbis Hierosolymae, et multo magis iudicium extremum cum aduentu Christi in gloria coniunctum, vocatur aduentus regni Dei, v. g. Luc. XXI, 31. Nempe regnum Dei, aliquo praecipuo effectu spectandum, sic simpliciter regnum vocatur. Nec minus beneficia hominibus per Christum exhibenda vocantur regnum Dei, rursusque effectui nomen causae imponitur. Itaque regnum Dei interdum notat beneficia spiritualia praesenti vitae destinata, et quidem in se spectata Rom. XIV, 17. 1 Cor. IV, 20. Pariter hoc nomine veniunt, quatenus in hominibus insunt, vel certe iis cumulate offeruntur. Sic habitatio Dei inter homines dicitur regnum Dei, idque a Iudaeis ad gentes transferendum Matth. XXI, 43. Ecclesiam non memini in casu recto dici regnum Dei, quod potius dicitur esse in illa, illi decretum esse, et credentes dicuntur filii Regni. Praecipue autem gloria futuri seculi nomine regni Dei celebratur v. g. Matth. XXV, 34. quae vocis vsurpatio a multis hodie fere sola arripitur, id quod intelligendis textibus sacris saepe officit, eoque magis, quoniam spem felicitatis aeternae sibi homines fingunt etiam neglecto Christo, quo fit, vt nominantes regnum Dei frequenter

quenter

VIII

quenter de Christo ne cogitent quidem, quod a veritate et ab usu loquendi Scripturae S. vehementer abhorret. Nam quatenus felicitas aeterna regnum Dei nuncupatur, fit hoc propterea, quod gloriae Christi cum plena manifestatio tum participatio est. Quatenam ex his significacionibus singulis dictis proxime conueniat, doceat contextus. Mediate omnes reliquae vbiuis innuuntur, singulae enim inter se aptae connexaeque sunt, Christumque omnes designant, modo complexe, modo in certa σχέσει et veluti ab alia aliaque parte in sua maiestate suisque beneficiis cernendum. Id quoque notari meretur, *de Christo dici, quod is sit, qui capit regnum*, Luc. XIX, 12. tandemque *venit in suo Patrisque regno*. Absolute autem *regnum* dicitur vel *Dei*, vel *coelorum*, videlicet coelis spectatis vt praecipua regni parte, et habito respectu ad thronum maiestatis diuinae, qui in coelo gloriae est, nec non quod subinde totum coelum vocatur thronus Dei.

Quae haecenus in genere notauimus, nunc ad homiliam Christi montanam applicemus. Qui vim verborum et phrasium recte obserauerit, quam tum habebant ex usu loquendi V. T. et orthodoxae fidei Israeliticae, complura statim deprehendet, quae cogant confiteri, scopum sermonis huius neutiquam legalem, sed stricte proprieque euangelicum esse. *Thema totius Christi orationis idem ipsum est, quod alibi tamquam summa doctrinae Ioannis Baptistae et Iesu ipsius breuiter his verbis exprimi solet: μετανοείτε, ἡγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν ἑρᾶνῶν, respiscite, nam praesto est regnum coelorum.* Praeterea *concio Christi suo tempore locoque, quo habita fuit, consideranda est, quod multum valet ad mentem dicentis intelligendam.* Videlicet Matthaeus Cap. III. iam memoriae prodidit, hanc doctrinae Ioannis summam fuisse, deinde ipsius Iesu baptismum et publicam de coelo factam declarationem, quod hic sit Filius Dei, tradiderat. Tum missis, quae inter reditum Iesu ex deserto et vincula Ioannis Baptistae interiecta sunt (haec ex Ioanne Cap. I-V. peti debent, praesertim quae primo paschatis et pentecostes festo gesta sunt) statim pergit ad ministerium Christi in Galilaea Cap. IV, 12. etc. Summam rerum, quas Christus ipse docuit, exprimit prorsus congrue his, quae de Ioanne Bapt. C. III, 2. memorauerat, et his verbis complectitur C. IV, 17. μετανοείτε, ἡγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν ἑρᾶνῶν, et rursus v. 23. περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων κ. τ. λ. καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας. *Quare dubitari non potest, uberrimam sermonis Christi ad populum recensionem Cap. V-VII. speciminis loco exhiberi, quo intelligatur, quomodo Christus in Galilaea docens utramque doctrinae principalis partem de praesentia regni Dei, et de mutanda mente, vt illud digne recteque*

recteque

recteque accipiatur, explanare et illustrare consueverit. Docet hoc circumstantia omnium rerum. Populus enim, qui ad Iesum confluxit, eam ob causam aduenerat, quia putabat, Iesum esse Christum, vel videre volebat, an pro Christo haberi queat. Ex Ioanne Bapt. iam cognouerant, Christum adesse, et iam manifestandum esse, sed veram animi conuersionem ab iis exigi, qui salutis eius participes esse cupiant. *Vtendum itaque fuit Christo via a Ioanne praeparata, et haec vberius explicanda erant, et ad se ipsum applicanda.*

Atque hoc ita esse, statim subiecta sermonis Christi sciagraphia planissimum faciemus. *Expedi autem antea praecipuas loquendi formas annotare et in classes dispescere, quae prudentem statim admonere possunt, totum Christi sermonem agere de rite acceptandis beneficiis Euangelii.* Spectat huc I) nomen *Regni coelorum* vel *Regni Dei*, ad quod in hac homilia omnia referuntur. Sumitur vel vniuerse pro Christo iam exhibito cum beneficiis suis, doceturque, quis eius capax sit C. V, 3. 10. 19. 20. quis de eo recte doceat V, 19. 20. quod expetendum sit VI, 10. 13. et ante omnia quaerendum VI, 33. vel speciatim sic vocatur gloria futuri seculi a Christo tribuenda VII, 21. Eodem pertinet commemoratio *coeli* vel *coelorum* V, 12. VI, 20. II) *Vox iustitiae* Christum respicit, qua voce in prophetis V. T. beneficia euangelica saepe comprehenduntur, quaeque in sermone, qui expresse de Christo agit, sine dubio hoc sensu accipi debet, veluti Cap. V, 6. praesertim quoniam *iustitia et regnum coelorum* vt connexa exhibentur C. V, 10. VI, 33. Notio illa theologiae Israeliticae principalis ab ipsorum theologis male deprauata et ad alienum sensum detorta erat, nec a Christo praesupponi poterat, sed restitui debebat, et vindicari, quod ab hominibus impetretur per multo aliam *μετάνοιαν*, atque illi doceant, et acceptando regnum coelorum, idque agit Christus C. V, 20. Cum iustitia coniuncta est *vita*, quae vox rursus Christum spectat C. VII, 14. III) Obseruemus, *vbi Christus seipsum allegat, et ostendit, tamquam obiectum religionis saluificaе primarium*, veluti quae perferri dixerat C. V, 10. *ἐνεκεν δικαιοσύνης*, expresse v. 11. ad se transfert *ἐνεκεν ἐμῆ*. Illum *appellare Dominum*, dummodo recte fiat, est causa salutis C. VII, 21. *in eius nomine miracula* eduntur, quod deitatem Christi ostendit v. 22. ipse *iudex mundi* est, saluandi potestatem habens, qui ipsi obediunt, damnandi peruicaces et immorigeros v. 23. Hinc toties *sua auctoritate* dicit *ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν* C. V, 20. 22. 27. 31. 34. 39. 44. *ἂμην λέγω ὑμῖν* VI, 3. 5. Is ipse est *ὁ μέγας βασιλεὺς* C. V, 35. coll. Ps. XLVIII, 3. Quare obstupuit populus, quod non loquatur vt doctor, sed *ὡς ἐξουσίαν ἔχων*, vt qui ipse potestatem habet

C. VII, 29. IV) *Futura Christi dies*, nempe iudicium extremum, memoratur C. VII, 22. quemadmodum alibi a Christo saepius fit, tamquam C. XIII, 40. XVI, 27. XXIV, 30. XXV, 31. Io. V, 27. sq. V) Ad Euangelium Christi iam praesentis refertur *appellatio Dei ut Patris hominum*, quatenus credunt in regnum Dei, h. e. in Christum, de cuius nominis habitu ad nomina foederis, quibus in V. T. Deus se appellari voluit, nuper diximus, *) Nempe nunc demum vere et excellenti sensu Deus compellari debuit ut Pater Israelitarum, postquam Filius Dei erat Israelita, cuius hi fratres erant, sed et omnium Adamitarum, quibus mox innotescere debebat, C. V, 16. 45. 48. VI, 1. 6. 8. 9. 14. 15. 18. 26. 32. VII, 11. Attamen distinguit eos, qui iure filiorum actu fruituri sunt, a reliquis, quamquam ad idem ius omnes vocati sunt C. V, 9. VI, 14. 15. VI) *Christus solvere debet opera diaboli* Gen. III, 15. id quod in hoc sermone attingitur, quando orare iubet liberationem ἐπὶ τῶ πονηρῶ C. VI, 13. et de malis rebus, quamuis speciose factis, asseritur, quod sint ἐκ τῶ πονηρῶ C. V, 37.

Iam ipsam *homiliae montanae summam et nexum breui sciagraphia* exhibeamus, quam qui cum textu comparauerit, is suis oculis videbit, quam mere euangelicus sit hic sermo, nisi admodum iniquus sit in iudicando. Iam supra diximus, *thema* totius sermonis esse celebratissimum illud: *resipiscite, nam praesto est regnum coelorum, vel: aduenit regnum Dei, conuertimini et Euangelio fidem adhibete.* Incipit *pars generalis* tamquam *introitus*, Matth. V, 1-19. sequuntur *duae partes speciales*, quarum *prima tractat μετάνοιαν* Cap. V, 20- VI, 18. *altera uberius explicat fidem in regnum Dei*, Cap. VI, 19- VII, 27.

I. *Exordii seu partis generalis lemmata* haec sunt. a) *Christus, beatos praedicans credentes in se, omnes ad se inuitat* C. V, 3-12. Describit credentes, et iis beneficia Euangelii promittit v. 3-6. sed repraesentat statim ut facientes dignos fructus poenitentiae v. 7-12. b) *Poscit, ut praerogatiuam suam agnoscant et ornent*, ad quam perueniunt accepto euangelio de regno Dei v. 13-16. Nam credentes in Christum soli sapiunt, reliquosque faciant sapere v. 13. Lux mundi sunt dupliciter, quia omnium oculi in asseclas Iesu conuertendi sunt, tamquam in editam urbem v. 14, et quia aliis lucere debent v. 15. Ideo vita sua Deo honori sint v. 15. c) *Ne putent, Christum solvere biblia, nec audeant ipsi quidquam de verbis Christi solvere* v. 17-19. Punguntur Iudaici doctores, qui Scripturam S. soluebant, h. e. magnam partem irritam faciebant.

Chri.

* in programm. Fest. pasch. vbi probatur, quod significatio nominis IEHOVA sit relatiua, pag. 33.

Christus potius Scripturam impleturus erat, praestando omnia, quae de se suoque regno scripta, quae praedicta verbis vel typis adumbrata sunt v. 17. Neque etiam ad mundi usque interitum quidquam peribit de Scriptura, ut desinat coli ut verbum Dei, vel ut non impleatur v. 18. Quare doctores quoque nihil audeant solvere, qua re sola tamen nondum ad metam pertingunt, nisi cum recta doctrina etiam praxis coniuncta sit v. 19. Sic Dominus ordine deductus est ad grassantes Ecclesiae morbos. Nam Iudaici doctores multa dissoluebant, et quae recte docerent, ipsimet non faciebant.

Fit igitur transitio ad rectius explicandam *iustitiam* v. 20. quae vox h. l. designat stilo Ebraeo complexum totius verae religionis, quae, dum in praxi spectatur, *iustitia* audit, in thesi, *veritas*. Sed τέλος νόμου finis totius Scripturae Christus est. Vera igitur et saluifica religio in salutari Christi cognitione et acceptatione posita est, a qua vulgaris Iudaeorum doctrina admodum aberrabat. Ait igitur, nisi in religionis theoria et praxi ulterius procedant (cum περισσέυειν conf. περισσόν v. 47. 48.) quam scribae et Pharisei, eos non intraturos esse in regnum coelorum. Phrasis haec intrare in regnum coelorum etiam notare potest introitum in gloriam coelestem, idque notat C. VII, 21. quod alibi dicitur βασιλείαν Θεῶν κληρονομεῖν, sitque post resurrectionem mortuorum 1 Cor. XV, 50. Sed per se latius patet, nec minus de fide quam de salute adhibetur. Hinc Pharisei Matth. XXI, 13. reprehenduntur, quod ipsi in regnum coelorum non intrent, et intrantes non sinant intrare. In nostro loco nexus sermonis amplissimum significatum postulat. Dominus dicere voluit, qui Phariseis circa religionem rectius non sapiat, ne nomen quidem Iesu Christo daturum esse, et qui, dato ipsi nomine, illorum tamen retinere velit mores, hunc pro suo se nequaquam agniturum esse, nec olim in die Christi eum saluari posse, coll. C. VII, 21 - 23. Ecquid igitur requiritur? Videlicet rectius respicere et ad regnum Dei fide amplectendum toto pectore se conferre.

Sequitur ergo II. tamquam sermonis Christi prima pars specialis, explicatio, qualem poscat μετάνοιαν h. e. mutationem animi in melius Cap. V, 21 - VI, 18. Exigitur autem a Christianis partim A) multo perfectius materiale virtutis, nempe ut ne eligatur pars verbi diuini neglecta parte, aut actus externus sine debito animi statu, nec Scriptura S. peruerse explicetur, Cap. V, 21 - 48; partim B) verum virtutis formale requiritur, ut bonum reuera fiat Dei causa, idque serio et toto pectore Cap. VI, 1 - 18.

Quatenus sermo Domini potissimum in eo versatur, ut A) *materiale virtutis* rectius explicet, illustratur asserta generatim imperfectio theologiae Iudaicae 1) *speciminibus malae doctrinae Pharisaeorum, qua pertinet ad legem moralem*, et sumitur illustrandi causa praeceptum quintum, C. V, 21-26. item sextum, quantum ad adulterium v. 27-30. et repudium v. 31. 32. denique ex praecepto secundo doctrina de periurio, ubi cum temere iurandi consuetudo, tum vana iurandi genera improbantur v. 33-37. Pergit 2) ad *specimina de abusu legum forensium* a) *ac si ἀντιση- νοῦ τῷ πονηρῷ*, h. e. quum laedimur, cuilibet *par pari referre liceat*, quae lex iudici in foro scripta fuerat, neutiquam priuatis, qui laeduntur, v. 38. Contra Christus a patiente postulat promptitudinem plus patiendi v. 39-41. et petentibus sponte dandi v. 42. ut semper prompti simus etiam ad gratis dandum mutuandumque, neque id vnquam omittatur taedio liberalitatis sine iusta causa. b) *Repellit errorem, ac si inimicos odisse liceat* v. 43. Elicitur autem officium placabilitatis et diligendorum hostium ex eo, quod iam tempus est gratiae Dei vniuersalis v. 44. 45. nec aliter virtus christiana excelleret moribus mundi v. 46. 47. et ad virtutis integritatem obliget sanctitas seu perfectio Dei v. 48.

Deinde B) etiam *multo perfectius formale virtutis*, quam docebant Pharisei, praecipitur, *ut bonum vere fiat Dei causa, *) Deus autem fide in Euangelium ut Pater colatur*. Illustratur hoc, *iudicando bona opera vulgo maxime commendata, eleemosynas, quas Deus non remuneratur, nisi fiant Dei causa* C. VI, 1-4. *preces, quae vnice Deo sacrae esse, non ambitionis causa ostentari debent* v. 5. 6. nec verborum fidendum est v. 7. 8. quapropter recta precandi ratio docetur, v. 9-15. denique *ieiunia* v. 16-18.

De *oratione Dominica* probe obseruetur, quam *mere euangelica* sit, et ubique Christum spectet, etsi appellatio nominis Iesu inter precandum demum consummato Christo mandari potuit Io. XVI, 23. Statim *allocutio Dei ut Patris* nouo testamento propria et a Iesu introducta est, quod supra iam monuimus. Qui recte animaduertit, quae potestas verbis in sermonibus Christi subiecta sit, agnoscet, *tres petitiones primas amplexum Euangelii exprimere, animumque ad fidem intime conformare*. Qui sanctitatem Dei non recte agnoscit, non amplectetur Christum; sed agnita illa, careremus solatio, nisi regnum Dei ad nos venisset. *Petitio secunda prorsus exprimit fidei formam, Deoque nostram per Christum salutem volenti respondet: volo*. Tertia vim nouae creaturae exprimit, animumque format

* Series textus hoc semper docebit. Sed facillime sentitur, si cum B. *Ben- gelio* Cap. VI. 1. pro ἐλεημοσύνην legas δικαιοσύνην vid. apparat. crit. et gnom.

format ad obedientiam integerrimam, simulque coelestem reddit, et ad-
 suefacit de coelo semper cogitare. Singulare est, et debito loco imi-
 tandum, quod, quoniam populus de Christo et de fide instruendus,
 opusque erat, ut de utroque pessima praeiudicia ei eriperentur, Domi-
 nus tantisper a vocabulis abstinet, rem vero designandam non modo pro-
 ponit, sed animo penitus infigit. Nam quid sit, quod spectari oportet
 in Christo et per eum sperari, exacte et tempori aptissime, et omni ae-
 tati conuenienter, repraesentat oratio dominica, animumque a regno mun-
 dano et sensu carnali penitus abstrahit, fidem autem in Christum ita exigit,
 ut eius characterem in animo conficiat et effingat. Quo admirabili utilif-
 simoque artificio Christus ab initio usus est, v. g. Cap. V, 3. 4. 6. 10. 11.
 et saepe posthac utitur, sed nomen fidei indirecte insinuat reprehendendo
 ὀλιγοπισίας C. VI, 30. Quatuor reliquae petitiones orantem ad vitae
 praesentis statum reducunt, dumque orare docent, quibus opus habemus
 ad vitam temporalem et spiritualem, et hanc quidem alendam et tuendam,
 aduefaciunt animum ad ἀντάρκειαν, ad placabilitatem, et ad vigilantiam,
 ut decertandi agonis memores simus. Inprimis quintae petitionis ratio-
 nem apparet in eo sitam esse, ut peccatorum infirmitatis quotidianorum
 memores simus, quia iustificatio ipsa profecto iam expressa est in petitione
 secunda, nec non ut placabilitatis admoneamur, id quod praeterea li-
 quet ex sequentibus v. 14. 15. Sic posterior quoque orationis dominicae
 pars conformationem mentis euangelicam depingit, fidemque inducit, quomodo
 operetur in vita communi, quemadmodum prior pars maiestatis et sublimi-
 tatis plenissima fidem loquentem sistit, quomodo cum ipso Deo versetur.

III. In sequentibus Christus redit ad inuitationem ad se, et vberius ex-
 plicat, qualem poscat euangelii acceptationem, simulque rationes mouentes
 ad hanc ipsam suppeditat, quam sermonis partem diximus considerari posse
 ut tertiam, vel ut specialem alteram, qua illustretur thematis pars altera:
 praesto est regnum Dei, credite Euangelio, C. VI, 19 - VII, 27. Videtur
 tractatio amplius commode scindi in partes duas, quarum prior est docens
 C. VI, 19 - VII, 12. altera applicans C. VII, 13 - 27.

In parte docente praecipitur a) *animus coelestis*, coelestia appetens ut
 thesaurum suum, ideoque versans in coelo C. VI, 19 - 21. b) *animus Deo*
sincere et vnice intentus v. 22. 23, qui *simplex et bonus* dicitur. Nam sim-
 plicitas stilo sacro semper in bonam partem accipitur. Monemur igitur vi-
 tare peccata intellectus, quorum grauissimum est, Deum curae cordique
 non habere, aut illud sincere et fideliter non agere. Praestricta mentis
 acie in tenebris versamur, quemadmodum caecus, qui in lucidissimo loco in
 tenebris est, non luminis externi defectu sed veluti interni. Id vero contin-

gere docet Christus, si oculi, mentis nempe, non bona simplicitate dirigantur, quo debent, sed mali sint, dolo pleni, quo facto, quoniam a iudiciis intellectus reliqui hominum status pendent, spissis tenebris obducimur. Christus igitur, fidem poscens et commendans, accurate et vtilissime ad causas ἀπιστίας remouendas penetrat, quas neutiquam sufficit quaerere in erroribus et praeiudiciis, verum in malo intellectus vsu, aut potius abusu, quando acceptis de Deo primis notionibus mens ad Deum non sincere, pie et constanter dirigitur, nec Deus eligitur pro summo bono scopoque. Nunc excusant se ἀπιστοι et excusantur. Secus erit, quando καρδιογνώστης iudicabit. Quae Dominus figurate dixerat de mentis oculis in Deum simpliciter defigendis, ea deinde verbis propriis non modo proponit, sed diducit quoque, expositis aliquot vitiis, in quibus ille simplicitatis diuinae defectus cernitur. Quare c) *cauere iubemur, ne δάψυχοι simus, seruendo mamonae vna cum Deo v. 24, hinc sollicitudines de futuris, ac si nobis ipsimet prospicere possemus, vel deberemus, nec esset Deus, cui vt Patri confidere liceret v. 25 - 32. Igitur beneficiis Euangelii potiri cura nostra principalis esto, quo facto Deus reliquis prouidebit v. 33. 34. d) Porro vitanda est temeritas perperam iudicandi, ne mala aliis adiudicata, de quibus male decernimus, in nos incidant, quia Deus iure talionis vtetur. C. VII, 1 - 3. Potius nostrae ipsorum emendationi primum studendum est, qua peracta ad emendandi proximi studium transeundum est v. 3 - 5. Obseruari velim, tametsi istiusmodi monita per varias occasiones opportune dari queunt, συνάφειαν tamen sermonis Christi cum vniuerse tum speciatim ob C. VI, 33. postulare, vt hoc loco data censeantur causa relationis rei ad fidem euangelio adhibendam et dignis operibus demonstrandam. In eo enim Christus est, vt dilucidet, quomodo acceptandum sit regnum coelorum. Et est profunda quidem, sed optima rerum connexio, rursusque ad causas ἀπιστίας in animo latentes pertinet. Nihil magis fidem impedit, quam temeritas peruerse de iis iudicandi, a quibus discere deberemus. Similiter fructus fidei, caritas, beneficentia, coniunctio fraterna, nulla re magis impeditur, et speciose quidem atque hypocritice, eoque magis periculose. Includitur in hoc monito, ne ipsius Christi humilitate offendantur, conf. Luc. XII, 57. Io. VII, 24. VIII, 15. e) Sed et prudentia pariter imperatur, ne bona diuina inhabilibus adiudicemus, vtque circumspiciamus, cui Euangelium cum fructu offerri possit. Sic alteri extremo occurritur v. 6. f) *Precatio* commendatur cum certa promissione impetrandi bona expetita v. 7 - 11. Preces sunt praecipuum fidei saluificae alimentum, quo neglecto vel per reliqua subsidia nihil proficitur, vel coepta rursus dispereunt. Saltem qui remissius precantur, minus accipiunt, eoque pacto detri-*

detri-

detrimentum capiunt, cuius ne ipsa quidem aeternitas vestigia delebit. g) Clauditur tractatio haec *epiphonemate de summa officiorum, et doctrinae Christi cum Bibliis V. T. consensu* v. 12. Qui extra hunc contextum dicat: *Omnia, quotquot vultis, ut faciant vobis homines, etiam vos facite ipsis. Haec legis summa est, haec prophetarum*: intelligere debet subaudita restrictione: *quatenus libri Mosis vel prophetarum officia hominum erga homines tractant*. Extat locus, ubi Christus hoc quoque dixit Matth. XXII, 40. Hic vero ne negligentur particulae $\delta\upsilon$ et $\epsilon\tau\omega$, quae redundare non putandae sunt, si, quod ita est, significatio earum textui apta est. Sensus est: *itaque, ut multa breui complectar, redeamque ad supra dicta C. V, 17. me ne utiquam vestrorum doctorum more quidquam solvere de verbo diuino, quaecumque volueritis vobis fieri ab hominibus, ea $\epsilon\tau\omega$ hoc modo, quemadmodum hactenus dixi, etiam vos facite ipsis. Haec illa ipsa sunt, quae Moses et Prophetae vobis praecipunt*. Scilicet sic doctoribus illis legem iactantibus non indigetis (conf. Gal. V, 23.) Nihil enim de Bibliis dissoluo, sed illi dissolunt multa, et prorsus negligunt et deprauant principalia.

Superest *pars applicans C. VII, 13 - 27.* qua α) Dominus *grauiter instat, ut ad se veniant*, nec negligent gratiam Dei, offendanturque viae difficultate vel obtemperantium paucitate v. 13. 14. hinc β) *sibi caueant a falsis doctoribus* v. 15. quod fit attendendo diligenter ad ea, quae dicant faciantque, et haec inter se comparando, quo facto mali noscentur malo, boni bono, v. 16 - 20. Fructus, quibus dignoscuntur mali doctores, sunt non modo opera, quamquam haec quoque, sed verba praecipue, quod constat locis parallelis Luc. VI, 45. sq. Matth. XII, 33 - 37. ipsaque rei natura, quia nullus tam facile et frequenter ex animo erumpit effectus, quam verba, dummodo attendantur, quae quis reuera ex sua mente proferat, non ex formula et more dicendi, vel ex memoria recitet. γ) Sed *obedientiam in praxi poscit, non in verbis positam*, v. 21. sine qua ne miracula quidem probant, Christum profitentes reuera esse Christi v. 22. 23. sed coniunctio praxis cum auditu firmiter fundat, et inconcussum reddit religionis saluificae aedificium v. 24 - 27. Obserua, *terminum ad quem, quorsum omnia referuntur, esse introitum in regnum coelorum* v. 21. quod h. l. idem est atque intrare in gloriam in die Christi, v. 22. vt metonymice effectus speratus et praecipuus dati Regis diuini dicatur regnum Dei. *Facere voluntatem Dei* v. 21. non solum notat obtemperare legi morali, sed et praecipue fidem in Filium Dei, per quem et cuius causa reuera omnia sunt. Sic enim alibi Christus diserte explicat Io. VI, 29. 39. 40. in nostro autem loco contextus aperte docet. Nam hypocritae ostentare audent fidem in Christum v. 22.

Equidem dispositionem sermonis Christi hactenus traditam aequo lectori sufficere iudicamus ad intelligendum, quod Christus scopo euangelico dixerit, quaeque de lege ab eo dicta vel potius restituta et vindicata sunt, pertineant ad verae conuersionis explicationem, qua acceptari debet regnum coelorum, h. e. Euangelium. Enimvero ne quis artificiosius eam confectam esse criminetur, quam patitur eiusdem sermonis epitome, quae apud Lucam C. VI, 20 - 49. habetur, age, huius quoque breuiter rationem reddamus. Contemplanti patet, Lucam multo pauciora ex sermonibus Christi complexum esse, quam Matthaeum, tametsi nihilo minus apud eum aliqua reperiuntur, quae Matthaeus non attigit. Compendium vero illud, quod Lucas exhibet, ita constructum suisque partibus aptum et connexum est, vt appareat, eum hoc specimine docere voluisse, *quod Christus cum promissione beatitudinis homines ad se inuitauerit, ea tamen lege, vt dignos Euangelio fructus ferant amore*
proxi-

XVI

proximi, etiam inimicorum, et paritate cordis, ex quo bona deinceps, tamquam ex thesauro, proferant. Lemmata haec sunt. Exordii loco quatuor recenset μακαρισμὸς, sed et quatuor vae opposita v. 21-26. Vbi obseruandum v. 21. expresse nominari *regnum Dei*, et v. 22. *Filium hominis*, cuius causa credentes in eum opprobrio ab hominibus afficiuntur. Ex quo percipitur, Christum se ostendere tamquam salutis autorem, et scopo euangelico dicere. Quia ex vae incredulis dicto aliquis opinari posset, licere credentibus eos odisse et pro nihilo habere, vsus hac transeundi commoditate statim pergat Lucas ad tradenda, quae Christus docuit de inimicorum amore v. 27. 28. de promptitudine ad plus patiendum v. 29. et ad sua aliis imperienda vel concedenda v. 30. regulamque generalem, qua praecepta talia ulterius determinantur et explicari debent, ne, quid ineptum in praxi inde eliciatur, subiungit v. 31. Tum rei aequitas vindicatur v. 32-35. et ex Dei misericordia deriuatur officium misericordiae v. 36. e contrario temeritas iudicandi redarguitur v. 37. commendatur facilitas remittendi et largiendi, et iudicium talionis praedicitur v. 38. 39. Haec tenus disciplinam Christi de officiis caritatis exposuit, quae iniunxit his, qui beatitatem ab illo sperarent. Quia igitur Euangelista ab hac praecise parte doctrinam Christi publice populo propositam ostendere tum voluit, nunc subiicit quaedam a Christo dicta, quae faciunt ad praxin doctrinae debitamque animi conformationem, vt illi obtemperari possit. Memorat ergo v. 39. 40. Iesum cautionem quoque imperasse, vt ne caecos sequantur doctores, quod ad Phariseos pertinet, (quemadmodum Matth. V, 20.) porro emendationem cuiuslibet a se ipso incipiendam esse v. 41. quocum connectit, quod indoles verborum et operum humanorum animi sequatur conditionem v. 43-45. Matthaeus quidem hoc monitum recenset tanquam a Christo datum, vt criterium falsos doctores dignoscendi. Sed in sermonibus Christi diu protractis in vtraque doctrina adhiberi potuit, quando de sui cuiusque et quando de aliorum exploratione instituenda admonuit. Finitur tandem epitome graui obedientiae efflagitatione v. 46. qua omissa audientes struant sine fundamento v. 47-49.

Partem rei, quam Christus in homilia montana tractat, videlicet quod illi soli salutariter sapiunt, qui veram viamque Christi cognitionem habent, quam supra pag. 10. ex Matth. V, 13. notauimus, ex eo visionis puncto spectatam, quod festo Pentecostes accommodatum est, in oratione sua, qua consueta sacra festi solennia in templo academico celebramus, sibi illustrandam sumsit V. Cl. M. IO. FRIDER. TELLERVS, Lipsiensis, ROMANI, celeberrimi nuper apud nos theologi, filius natu tertius, vestigia parentis, quem non sine veneratione et desiderio nominamus, strenue premens, pietateque et sollertia laudabili illis insistens, dicturus iam *de vera, eaque non modo contemplationis sed vitae, sapientia inter gentes restituta per dona Spiritus S. super Apostolos effusa.* Ad quem audiendum vt die Pentecostes audita hora XII. beneuole conueniant, ILLUSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, Ciues academiae Generosissimos, Nobilissimosque, omnes denique litterarum Fautores Cultoresque humanissime rogamus. P. P. Lipsiae, Festo Pentecostes A. N. C. MDCCCLIX.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

coll. Miss. Th 159.23